Diſputatio Medica

DE HYDROPE,

Ejuſque Speciebus & curatione,

QUAM

DEO Ter Opt. Max. clementer annuente,

Conſenſu & Authoritate Ampliſsimi Medicorum Ordinis in florentiſſimâ Tubingenſi Academiâ,

PRÆSIDE

Clariſſimo ac Excellentiſſimo Viro;

Dn. JOH. LUDOVICO MŒGLINGO, PHIL: ET MEDIC. DOCTORE EXIMIO, HUIUSQUE

Profeſſore Celeberrimo, Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. Decano Spectatiſſimo, Dn. Præceptore & Patrono ſuo ætatem honorando.

Pro Summis in Medicinâ Honoribus ac Privilegiis conſequendis,

Publicè in Aula Nova defendendam ſuſcipiet

IOSAPHAT WEINLIN

Suevo-Halenſis.

AD DIEM XXX. AUGUSTI.

TUBINGÆ,

Typis THEODORICI WERLINI,

ANNO M. DC. XXII.

Diſputatio Medica

De

HYDROPE EIUSQUE SPECIEBUS.

PROOEMIUM.

PRincipem *infimi ventris partem Hepar, nobiliſsimum illud & primarium nutritionis organon, Anatomico penicillo depictum, unâ cum appropriatorum eiuſdem affectuum enumeratione generali exhibuimus; Jam idem quoque Hepar* παθολογικῶς *conſtitutum aliquomodò penitius conſiderabimus, & ex ſuprà enumeratis affectibus unum, videlicet hydropem eiusq; ſpecies, cum cauſis, ſymptomatibus, ſignis, ſignatis, & curatione. ſequentibus theſibus breviter deſcriptum, placidè examinandum proponemus:*

THESIS PRIMA.

Hydrops Græcis ὑδρώπησις, ὕδερος, ὑδερίασις, ὕδρωσις, vulgò autem ὕδρωψ; Latinis Aqua intercus; ſeu Morbus aquaticus dicitur:

Eſt autem tumor præter naturam, vel totius corporis, vel certarum ejus partium, abdominis præſertim, ab humore vel flatu, ortus, ex intemperie frigida jecoris & generis venoſi, ſanguificationem lædente.

II.

Ejus ſubjectum ſive pars affecta, præcipua & primaria eſt Hepar, & genus venoſum; non enim pro vero hydrope agnoſcimus eam aquam inter cutem, quæ non genita ſit hepate & venoſo genere læſo; Secundarium ſubjectum eſt vel totus corporis habitus, vel certæ ejus regiones, abdomen præſertim, &c.

III.

Evidentiores Hydropis tres ſunt ſpecies ſeu differentiæ, quæ partim ſecundum cauſam efficientem, frigiditatem videlicet jecoris & generis venoſi intenſiorem vel remiſſiorem, partim, ſecundum materiam ſeu cauſam conjunctam, eamque vel pituitoſam, vel ſeroſam, vel flatulentam, partim ſecundum ſubjectum ſecundarium id eſt, totum corporis habitum, vel abdomen ſolum, partesve alias, à ſeipſis diſtinguuntur.

IV.

Prima ſpecies eſt Anſarca, quæ & ὑποσάρκα, λευκοφλεγματία, σαρκίτης, ὑποσαρκίδιος, ἢ ἐπισαρκίδιος & μετὰ σάρκα dicitur, orta à remiſſiore frigiditatis gradu, & humore

humore plerunque pituitoſo, totum corporis habitum, œdematoſum, album vel pallidum, mollem, tumidumque reddit.

Secunda Species ſeu differentia Aſcites dicta, ἀπὸ τȣ̃ ἀσκȣ̃, hoc eſt, utre, eò quòd ægri venter utris aqua repleti ſimilitudinem referat, ab intenſiore frigiditate & humore potiſſimùm ſeroſo progenita.

Tertiæ Speciei nomen eſt Tympanites, à tympano inſtrumento bellico ſic nuncupatæ, venter enim percuſſus manu, tympani ſonum edit; nata eſt hæc differentia à medio quaſi inter Anaſarcam & Aſciten, frigiditatis gradu, quâ chylum crudum in flatus abdomen replentes facile converti poſſe certum eſt; Hippocrati noſtro dicitur Hydrops ſiccus.

V.

Quamvis autem tres hæ Species certis notis diſtinguantur, ut plurimùm tamen fieri manifeſtum eſt, ut miſtas invicem, & ad minimum duas reperiamus, quę tamen ita miſtæ ſunt, ut facile prædominantis humoris & ſpeciei notitiam habere, eamq; ab alijs diſcernere valeamus.

VI.

Hydrops præterea omnis aut eſt hæreditarius, cujus initia unâ cum ſemine parentum vitiato, fœtui in generatione implantantur; Et ortus, aut difficillimè, aut nunquam curari poteſt; aut Aſcititius, qui ex cauſis ſequenti ſerie deſcriptis ortum ſuum habet.

VII.

Cauſarum autem aliæ ſunt externæ, aliæ internæ; hæ vel mediatæ vel immediatæ.

Cauſæ externæ ſeu procatarcticæ ſunt. Calor omnis externus vehemens, nimium ambientis frigus,

intempeſtiva crudorum & frigidorum alimentorum aſſumptio, nimius quoque frigidæ & vitioſæ aquæ potus, præſertim ſi corpus ab exercitio vel æſtu incaluerit, vel noctu etiam in lecto. Vini meracioris crebra ingurgitatio, ventre præſertim jejuno, ſuperfluus in febribus potus, quibus accedunt labor immodicus, percuſſio & caſus ſuper Hepar, &c.

VIII.

Internæ mediatæ, ſeu antecedentes ſunt in ipſo epate, ſive per ἰδιοπάθειαν, ſive per συμπάθειαν laborante. Per ἰδιοπάθειαν ſunt inflammatio, Scirrhus, Cacochymia, Plethora, Cachexia, Continui ſolutio, &c. Per conſenſum cum ægrotat, communicabitur ipſi intemperies morboſa, aut à toto, ut in Febribus, Ictero, morbis diuturnis, & acutis ſimilibus: vel à partibus, ut à Ventriculo, Corde, Liene, Meſenterio, Renibus, Omento, Pancreate, Inteſtinis, folliculo fellis, Pulmone, Thorace, Vtero, Diaphragmate, &c. Huc quoque referri debent vacuationes immodicæ & inſuetæ, & econtrà conſuetarum p. n. ſuppreſſiones; quibus adduntur deſtillationes de capite retrò ad vertebras & in carnes ſimul decumbentes, quæ tamen, Leucophlegmatiæ contingere videntur.

IX.

Cauſa immediata eſt humor vel pituitoſus, vel ſeroſus, vel flatuoſuso, bortus ab intemperie Hepatis & venarum frigida, ſanguificationem lædente.

X.

Signa quibus morbus hic cognoſcitur, ſunt vel διαγνωστικὰ, vel προγνωστικὰ; illa ſunt vel generalia vel ſpecialia: Generalia quæ omnibus hydropis ſpeciebus conveniunt, ſunt tumor, pedum præſertim, tempore

veſper-

veſpertino, & quando ab exercitio venerunt, ſeu diu decliv<s fuerunt, qui tamen tumor manè ſæpius rurſum evaneſcit, oculorum porrò inflatio, cibi faſtidium, reſpirandi difficultas, lumborum dolor, laſſitudo totius corporis, ejuſdem color vitiatus; Superfluitatum retentio, Vrina pauca, pulſus, parvus, frequens.

XI.

Διαγνωστικὰ ſpecialia, & quidem primò Anaſarcæ, ſunt in principio oculorum inflatio, cum labiorum albedine, quam ſequitur moles & inflatio totius corporis æquabiliter increſcens, emortuo ſimilis, carnes reddens molles, laxas, eneruatas, languidas, pallidas, frigidas; fovea digito impreſſa aliquandiu manet; Venter non ita tumet, ſicut in reliquis ſpeciebus, reſpiratio difficilis, quamvis ſemper adſit, magis tamen poſt aſſumptos cibos obſervatur: Pedes & partes inferiores ob pituitæ gravitatem & copiam tumor invadit major, præcipuè cum diu declives fuerint, qui tumor tamen ut ſuperius dictum, plurima vice rurſum evaneſcit ac diſſipatur; Pulſus eſt undoſus, latior, mollis, Vrina charopa vel alba, lactea & craſſa, ſordidaque, vel tenuis, cruda & copioſa. Febris interdum adjungitur continua & lenta, quæ ſub noctem præcipuè exaſperatur; Comitatur hæc ſpecies morbos plerunque diuturnos ac pituitoſos, quibus junguntur fluxus alvi copioſus, interdum ſanguinolentus.

XII.

Tympanitim oſtendunt hæc indicia; Diſtentio potiſſimùm abdominis, mole tamen fermè minore & faciliore quàm in Aſcite; Umbilici tamen & ſuminis egreſſio plurima conſpicitur, cutisque extenſa durior exiſtit, nec tactui cedit, ſed percuſſa tympani ſonum, ſive

utris aridi & flatu pleni edit; frequentes inſuper rugitus ſponte obmurmurantes, in converſione præſertim ventris exaudiuntur, eructationes crebræ fiunt, quas ſequitur alleviatio quædam, conſimilis ei, cum flatus deorſum erumpunt: ægro ſupino venter ad latera non cadit, ſed in medio elevatus manet, ſpiratio cervice erecta perficitur: Vt plurimùm hanc ſpeciem antecedunt lumborum dolores diuturni, languores ventriculi, & eiuſdem ſicut etiam inteſtinorum inflammationes, ſcirrhi jecoris, ventriculi, uteri: prægrediuntur quoque ſemper fermè Coli inteſtini & Ventriculi inflatio, tormina circa Vmbilicum. In initio huius mali pedes non ſemper tument, neque tanta corporis gravitas, nec tanta faciei à naturali habitu permutatio; licet reliquæ partes contabuerint: Pulſus ſunt veloces & frequentes, cum tenſione quadam ſubdura, Vrinæ vero tenuiores.

XIII.

Aſcitis cognoſcitur ex ventris tumore & gravitate ingente, viſui tactuique ſe offerente, cum dolore nonnullo & cutis tenſione; Cum percutitur aut æger alteri lateri incumbere conatur, fluctuantis aquæ, cui quid flatuoſi mixtum eſt, ſonitus inſtar utris aqua ſemipleni exauditur: Humor hic in thoracem quandoque penetrat, aut ad minimum comprimit, indè ſumma reſpirationis difficultas. Obque humoris huius gravitatem non ſolum femora & pedes, ſed etiam in viris ſcrotum virgaque contorta & pellucida quaſi apparet; ſicuti quoque genitalia in mulieribus intumeſcunt. Quibuſdam porrò (cùm morbus in nimiam ſe prorogaverit longitudinem) tibiæ rumpuntur, & aqua effluit; Reliqua denique membra corporis, præſertim ſuperiora, cùm nutrimento in hac ſpecie magis quàm in cæteris deſtituantur.

tur, majore conſumptione laborant; aliquando tamen maxillæ & oculorum palpebræ, ob vaporum qui ab aqua elevantur copiam, intumeſcunt, ſitis plerunque vehemens, & interdum cum febre adeſt.

Succedit hæc ſpecies plerunque Ictero nigro & flavo, Cachexiæ, morbis Hepaticis calidis, & eiuſdem & Lienis obſtructionibus, febribus ardentiſſimis, Meſenterij, Vterique tumoribus, Renum præterea ac Veſicæ affectionibus: Huic ſpeciei obnoxij inprimis ij ſunt, qui propter ruptam vel exeſam viſcerum venam, crebrò ſanguinem vel vomitu, vel alvo reddunt:

Vrina hîc deprehenditur ſæpius tincta, & rubicunda, craſſa, initio largior, progreſſu verò paucior. Pulſum præbet parvum, frequentem, cum tenſione aliqua ſubdurum.

XIV.

His quidem ſignis hucuſque traditis, præſentem morbum ejusque differentias cognoſcere poterimus, Cauſarum verò varietatem, & locum primariò affectum certis quoque ſignis indagare neceſſum eſt. Cum autem in omni hydrope Iecur affici debeat, videndum an per ſe, vel per conſenſum id contingat.

XV.

Per ſe autem laborare partim ſuperius tradita ſigna, potiſſimùm tamen cupiditas tuſſiendi, quâ nihil notatu dignum excreatur; Tumores inſuper vel in ſiniſtro, vel in dextro latere conſiſtentes. Paucitas præterea, ariditasque dejectionum patefacient; Si autem aliarum partium malè affectarum ſigna præceſſerint, & hæc abfuerint, per conſenſum hepar laborare judicabitur.

XVI.

Ventriculi ergò, vel inteſtinorum præcipuè Ieiu-

nivitio, medijs venis meſaraicis & epiploicis, Iecur ſi patiatur, magis & diutius profluvijs venter moleſtabitur, quib. nec dolorem exolvi, nec ventrem inde molliri ſentiemus. Idem quoque confirmant biliosa alvi excrementa, dolor mordax inteſtinorum, pedumque tumor; Reliquarum verò partium v. g. Pulmonis, Diaphragmatis, Renum, Vteri, veſicæ affectibus cum jecur in conſenſum tractum fuerit, id ex earundem partium malè affectarum ſignis proprijs & παθογνωμονικοῖς nobis manifeſtum fiet; neceſſariò enim præcedere coguntur.

XVII.

Diſtinguitur abdomen gravidæ ab abdomine hydropicæ, quòd hujus infra & ſupra umbilicum, illius verò ſolùm infra eundem ſit magis tumidum. Quod ad cauſas procatarcticas attinet ex ipſa ægri, vel aſtantium & propinquorum relatione percipiendæ; reliquas internas mediatas ipſa ſigna & ſymptomata prodent.

XVIII.

Prognoſtica quæ morbi mores ac exitum oſtendunt, ſunt hæc præcipuè.

Hydropicus, qui curabilis eſt, ita ſit conſtitutus ut habeat viſcera pleraque bona; ſeu ſit ἐυσπλαγχνος, & benè ſpiret, totum corpus ex æquo tepidum habeat, nec circa extremas partes colliquatum, tumores verſentur in partibus extremis, tuſſis abſit, ſitis quoque & linguæ ariditas hîc non reperiantur, adque cætera oblata bene ſe habeat.

XIX.

Quoad Cauſas, facilius curantur hydropes, qui ex obſtructione & victus ratione oriuntur, vel ex cibi multitudine, mox qui à ſuppreſſis menſtruis; Difficiliùs autem qui ex largâ profuſione ſanguinis ortum habent,

bent, & qui morbos aucutos exceperunt. Hydrops ex ſcirrho Splenis ſanabilior eſt, quàm ex ſcirrho Epatis.

XX.

Ætatem ſi conſideremus, omnem hydropem faciliùs curam recipere in corpore juvenili, quàm in ſenili, nemo eſt qui non videat.

Sic Symptomata ſi reſpiciamus: Alvi profluvium aquoſum in principio hydropis, citra cruditatem & cum alleviatione morbum ſolvit. Hipp. in Coacis. Potiſſimùm tamen de Anaſarca hoc intelligendum eſt. Quia idem inquit: Si alba pituita detento fortis diarrhæa ſupervenerit, morbum ſolvit: aph. 29. ſ. 5. Flatus in Tympania ſi cum comminutione tumoris erumpant, ſalutem pollicentur, Sudor hydropem ſuperveniens: bonus: Hydropicis circa venas aquâ in alvum elapsâ ſolutio fit. Aph. 14. ſ. 6. Alia autem graviora ſymptomata omnia abeſſe oportet, quò minus curationem impediant; Hipp. de ulc. Aph. 8. & 14. ſ. 6. Item in prænotionibus de morbo comitiali, item de urinæ ſtillicidijs.

XXI.

Quoad ſpecierum invicem collationem; Anaſarca facilius, Tympanitis difficilius, Aſcitis autem omnium difficillimè curationem recipit.

His perpenſis, quilibet facilè perſpectum habebit, quinam hydropes curatu ſint difficiles, qui planè incurabiles; plura de his adijcere non opus videtur:

XXII.

Omninò autem lethalem eſſe hydropem, his τεκμηρίοις præſcire non erit difficile; (dicitur tamen lethalis non quod neceſſariò mors ſequatur, ſed quòd utplurimum ita contingat;) Tales autem ſunt quibus tu-

mor: ab evacuatione redit; qui ex alijs morbis præſertim acutis ſuccedit: morbum enim cum morbus ſequitur, æger ſemper ferè moritur. Hipp. l.3. de aff. in genere. Lienoſis difficultate inteſtinorum correptis, hydrops ſuperveniens lethalis eſt: Aph. 43. ſ.6.

Si multùm ſanguinis eruperit ſurſum ac deorſum, & febris acceſſerit, hydrops eſt breviſſimi temporis, ex quo pauciſſimi evadunt:

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur & moriuntur. Aph. 55. ſ. 7. Vrina diſcolor in hydrope eſt Lethalis; indicat enim diverſitatem materiæ peccantis:

XXIII.

Qui hydropici uruntur aut ſecantur, aqua cum confertim effluxerit, moriuntur; nec eorum ſuperſtitum ulcera facilè ſanantur, aph. 27. ſect. 6. aph. 8. ſect. eiuſdem.

Ex hydrope inveterato dyſpnoea & anhelitus conſtrictio, tuſſis atque ſolutio ventris, propinquam mortem paucis diebus ſignificat. Plerunque etiam accidunt circa mortem ulcera oris & gingivarum, propter vaporum malitiam, vel etiam in toto corpore, propter ſanguinis, corruptionem.

Quibus Corpus liquefactum ex alio morbo, & alvus valdè fluida, citiſſimè moriuntur & ſentientes & loquentes; quibus item materia carnoſa per alvum exit proximi ſunt morti. Fœtor excrementorum, anhelitus & totius corporis, Carbunculus item hydropi ſuccedens lethalia ſunt. Sic quando in facie ægri, aut manu ejus ſiniſtra mollities, & in naſo pruritus accidit in principio, præſertim tamen in Tympanite brevi moritur. Et hæc de Prognoſticis ſufficiant.

XXIV. In-

XXIV.

Indicationes in cura hydropis conſiderandæ duæ præcipuæ ſunt: Una, evacuatio materiæ ſuperfluæ, ſive pituitoſæ, ſive ſeroſæ, ſive flatulentæ. Altera, Jecoris & partium affectarum in priſtinum ſtatum reſtitutio.

Superfluorum quod ſpectat evacuationem, ea eſt vel materiæ in abdomine alibique congeſtæ, vel in univerſum corpus diſtributæ, quæ perficitur vacuatione ſenſili vel in ſenſili; vel eius, quæ nondum diſtributæ, & indicat revellens, vel per alvum, vel per veſicam, vel per cutem.

Jecoris aliarumq; partium mala conſtitutio ut corrigatur, primùm intemperies indicat alterantia per contraria, ſpiritus autem, & calidum innatum ſui conſervationem, & recreationem, per confortantia appropriata, quibus cavebitur ne materia ſuperflua & vitioſa rurſum generetur.

Amotionem cauſarum varia indicant, quæ ex proprijs locis petenda erunt.

XXV.

Perficiuntur autem hæc omnia tribus; Diætâ videlicet; Pharmaciâ & Chirurgiâ:

Primò igitur quoad Diætam. Vniverſalis ea eſt quia in omnibus ſpeciebus convenienter adhiberi poteſt, & conſiſtit in ſex rerum non naturalium bona obſervatione.

XXVI.

In principio Aeris conſtitutio eſt probè obſervanda; requiritur enim hic aer qui ad calidum & ſiccum vergat, quô ſi naturâ deſtituamur, arte parandus, idque vel ſuffimigijs vel alijs quæ id efficere poterint perficiendum erit.

XXVII.

Huic ſuccedunt Cibi & Potus ratio; Cibus igitur ſit εὔχυμος, non glutinoſus, craſſus, vel flatulentus; Panis ſit probè fermentatus, ſalitus, cùm Aniſo, cumino, Fæniculo præparatus & ſatis excoctus. Febre tamen præſente, morbique cauſa calida exiſtente, vehementer calida moderanda vel omninò vitanda, tum in cibo tùm in potu, ut etiam in reliquis diætæ partibus, quod in omnibus ſpeciebus obſervandum.

Carnes ſint faciles, & aſſatæ potius, quàm elixæ exhibeantur; Si tamen elixis uti velimus, juri, radix petroſeſini cum aromatibus convenientib. incoquantur. Hepata gallinarum, alaudarum, inprimis lupi, ut quæ proprietate juvent, ſummoperè hîc probantur. Olera ſi adhiberi velint, ſumantur quæ calida ſunt & attenuandi vim habent.

Fructus uſurpentur eiuſdem qualitatibus cum ſuperioribus, ut ſunt Amygdalæ, piſtaciæ, uvæ paſſæ. Cœna ſit prandio copioſior, quantitas cibi ſemper, niſi aliud obſtet, mediocris ſit.

XXVIII.

Potus quantò paucior eò utilior; Aqua ſola nec imbuta alijs viribus omninò vitetur; Vinum vetus, fulvum, tenue, album convenit: ſi verò febris vel inflammatio juncta ſint, decoctum ex radicibus cichorij, aſparagi, ſem: aniſi, fæniculi, coriandri cum cinamomo, probatur: ad ſitim reſtinguendam Glycyrhiza à quibuſdam magnopere commendatur.

XXIX.

Somnus & exercitia, pro conditione ægri moderentur. Frictiones potiſſimum hîc, ſi manibus ſale conſperſis, aut oleis calefacientibus & attenuantibus in un-

ctis perficiantur, conducunt. Excretiones, quæ inprimis hîc expediunt, pro cauſarum ratione aut promovendæ aut impediendæ ſunt.

Venus, utpote calidum innatum debilitans, omittenda. Animi affectus nocui, ut mœror, triſtitia, & ſimiles vitentur.

XXX.

Pharmacia, ſequitur, & Chirurgia, de quibus in quavis ſpecie ſingulariter agemus.

Anaſarcæ curatio quoad Pharmaciam quadruplici vacuatione perficitur, per alvum, per veſicam, per vomitum, & per ſudorem.

Per alvum pituitoſum excrementum evacuatur medicamento purgante, à leniore ad fortius progrediendo.

XXXI.

Conferet autem ſi viarum reſeratio & humoris hujus coctio præceſſerint, beneficio Syrupi de Abſinthio, de duabus radicibus, de Eupatorio, de bizantijs, oxymelite ſimplici & ſimilibus, cum decocto attenuante, & aperiente, alijsque de radicibus apij, fœniculi, petreſelini, aſparagi adhibitis; Purgatio è Hiera ſimplici, ex Agarico, Rhabarbaro, Mechoacâ, Carthamo, Gummi peregrino ſuccedat. Hinc ea quæ efficaciâ majori hæc præſtant exhibeantur, ut pilulæ de Agarico, de nitro, de Colocynthide. El. Diaphænicon. Indum, Diacarthami, eorumque extracta.

Clyſter quoque hic non incommodè uſurpari poterit, qui Recipit Rad: Enulæ Camp. Ireos rec: ana ℥ ij. Aſari ℥ j. Sem: Apij, Fœnic. Carui, Petroſ: ana ʒ ij. Herb. Major. Rutæ, Puleg: Camæpyth. Mercurialis ana M. S. Flor. Lavend: Geniſtæ ana p. ij. Fiat decoctio in

aqua

aqua fontana q. ſ. coletur; Colaturæ hujus ℞ ℔ j in qua ſolve Bened: Lax: ℥ ß El. Indi ʒ ij. Mellis Roſ. Sol. ℥ ij. ſalis communis ʒ iij Miſce fiat clyſter ſ. a. Singulis namque ſeptimanis alvus ſemel deijcienda eſt.

XXXII.

His abſolutis Diuretica adhibentur, inter quæ maximè laudatur Daucus Cretenſis & Decoctum radicum aſparagi, trifolij, abſinthij, Trochiſci quoque Diacurcuma, Dialacca, de Eupatorio; exhibentur à ʒ ß ad ʒ j. cùm uncijs aliquot decocti ſupra dicti diuretici.

XXXIII.

Hæc inſequitur vomitus, qui magna utilitate præſtans, latitantes in ventriculo & primis vijs cruditates educit, eſtque ſingulâ ſeptimanâ bis vel ter provocandus. Si ventriculus non imbecillitate nimiâ laboret, & difficilis reſpiratio obſit, faciendum ante purgationem.

XXXIV.

Sudor, cum hîc inſignem operam præſtet, tum interioribus ut ſale theriacali, & decocto ligni ſancti & ſaſſafras, tum exterioribus, ut exercitio in arena calida, balneo Laconico provocandus; Frictio quoque de qua ſupra hîc adhibenda.

XXXV.

Balneum aquæ dulcis ut Hydropicis eſt infenſum; ſic econtra, nitroſa, ſalſa, ſulfurea, aluminoſa magna ex parte juvant; Sique naturalibus careamus, arte paranda erunt.

XXXVI.

Si quædam loca præ alijs magis tumida ſint, poterunt inungi, Vnguento de Artanita majore, oleo abſinthij, laurino, Iuniperino. Et imponuntur Emplaſtra, quorum unum ℞ ſtercoris bovini, caprini, columbini,

ſulphuris vivi ana partes æquales, excipiuntur lotio pueri vel capræ, & rediguntur cum oleo convenіente, ne areſcant, in ſpiſſitudinem ſtrigmentitiam & apponuntur. Alterum conficitur ex cochleis, cum ſuis teſtis contuſis, ac in forma cataplaſmatis ventri applicatur, relinquitur quoque ibidem, donec ſpontè decidat; horum tamen magis in Aſcite, quàm in hac ſpecie uſum requirit neceſſitas; Sed illuc quoque hanc ob cauſam referri poſſunt.

XXXVII.

Quoad Chirurgiam; obſervandum eſt quæ cauſa antecedens fuerit, & ſi oriatur ex ſuppreſſione menſium vel hæmorrhoidum, vel alia cauſa plethorica, ſanguinis detractionem indicat; movendus itaque erit earundem fluxus, vel ſi nolit fluere, vena ſecanda; Si vires modò patiantur, ſique propter copiam frigidus ſit ſanguis, dextra cubiti interna ſecetur, quæ plurimum è membris principibus evacuat: Scarificantur quoque crura. Si malum his adhibitis cedere nolit, nec majus quid obſtet, fiſſuræ quatuor digitorum ſpatio circa talum internum infligendæ ſunt, ipsâ lanceolâ & eâ profunditate, quâ in venæ ſectione utimur, quibus humor ad effluendum paratur, idque per aliquot dies præſtetur.

XXXVIII.

Si nec hæc ſufficiant, in ijſdem fermè locis πυρωτικὰ uſurpentur, ut ſunt piperitis, ranunculus, allium. Vel ℞ fermenti ℥ j, Cantharidũ præparatarum ʒ ij, cum aceto ſcyllitico & pauco oleo fiat veſicatorium. Veſicæ hæ ſuperpoſito braſſicæ folio oleo inuncto, per menſem & plures dies, pro ut neceſſitas requirit, ſunt apertæ retinendæ. Excitantur autem non ſolùm in cruribus ſed etiam in abdomine.

XXXIX.

Si neque hæc morbum propellere valeant, ad cauteria & punctiones manus admovendæ erunt, Cùm verò rariſſimè hac in ſpecie uſum ſingularem habeant, in Aſcitis curationem eorum uſum repoſuimus.

XL.

Hucuſque autem enarrata non ſimul & una vice in opus producenda ſunt, ſed paulatim, interdum quieſcendo, quo temporis ſpatio, cibo & potu, alijsque roborantibus Iecoris & aliarum partium vires reparandæ ac recolligendæ ſunt: Inter quæ commendantur præcipuè, trochiſci de Abſinthio, de Eupatorio, Conſerva Abſinthij Romani. Theriacæ item vel Mithridatij ʒ j cum aqua Cinamomi & decocto Abſinthij ſumpta; Electuarium Dialaccæ majus: Diacurcumæ Diacoſtum, Diatrion ſantalon, Diarhod. Abb. Aromatic: Roſatum, Et hoc in omnibus ſpeciebus obſervandum eſt.

XLI.

Tympanitis curatur tribus quoque præſidiornm generibus; Diætâ videlicet quæ ſuperius eſt deſcripta; Pharmaciâ & Chirurgiâ, de quibus jam quoque erit tractandum. Et primò quoad Pharmacian: Tympanitis ſimplicis, (ubi maximè ventriculi & inteſtinorum ratio habenda eſt,) curatio fit per digerentia, flatus diſcutienda, & roborantia, Prægreſſis tamen purgantibus, quæ flatus ſimul diſcutere valeant. Expediuntur ea, pilulis de Agarico, de Rhabarbaro; Electuario Diaphænico, & ſimilibus: his enim crudi humores ab imbecillo ventriculo collecti, flatibus materiam ſuppeditantes evacuatur.

XLII.

Vomitus quoque & ructus prolectatus cœteris

paribus conducunt. Sin à ſuppreſſione alvi Tympanitis fiat, alvus ſolvenda erit ſuppoſitorijs & clyſteribus purgantibus, quib. ſemper flatus diſcutientia adjunguntur: Si verò cùm alia ſpecie mixta fuerit, cura quoque ut mixta inſtituenda erit.

XLIII.

Scopus præcipuus in hujus ſpeciei curatione poſitus eſt in flatuum diſcuſſione; hic autem per medicamenta, tùm intrinſecus, tùm extrinſecus adhibita complebitur. Intrinſecus quæ huic rei inſerviunt ſunt Diacuminum, Dianiſum, Diagalanga, Antidotum è baccis lauri, Diacalamenthum: Pulvis quoque Cinamomi, Pimpinellæ, Coriandri, Spicæ Nardi, &c. Nec non aquæ Spiritusque hinc confecti.

XLIV.

Idem præterea Clyſteres expediunt, Veluti ℞ Fol: Rutæ. M j. Sem. Aniſ: fœnic: Carui, Cymini, baccar. lauri ana ℥ ß Flor anthos. ſtœchados ana m. ſemis, Aſari vel agarici ℥ ß. fiat decoctio in aq. font: q. ſ. colentur; Colaturæ ſume, ℔ j in qua diſſolve El. Diaphænic. ℥j Ol: Rutæ, Anethi ana ℥ iß, vini cretici adde ℥ iiij miſce fiat enema.

Glandes quoque & ſuppoſitoria quæ uſurpari poſſunt ℞ Mellis ſatis cocti ℥ iß. ſem: Aniſi, Fænic: ana ℈ j, carui ℈ ij, Colocynt: ℈ j ſalis com. ʒ j, fiant ſuppoſitoria ſecundum artem.

XLV.

Extrinſecus probantur olea, Vnguenta & Emplaſtra flatus diſcutientia, quale eſt Emplaſtrum de baccis Lauri. Oleum Abſinthij, Anethinum, Irinum, Cheirinum, &c. Fomenta parentur ex Milio, Sale, Furfure, aniſo, fæniculo. Diuretica cęteris paribus dentur frigida,

 ut

ut plurimùm enim Tympanitis oritur cum cauſa calidiore: Sunt autem Endivia, ſcariola, &c. Roborantia, ſuperius tradita hîc repetantur, quibus ſeorſim adjungantur Tab Diarrhod. inſperſæ guttis aliquot olei ſtill: Aniſi, Fæn: &c.

XLVI.

Chirurgia quoque hac in ſpecie uſurpatur Cucurbitulis, vel multis, vel unâ magna ſine ſcarificatione abdomini applicatis. Hæc ſi non ſufficiant ad veſicatoria progrediendum, quæ tamen ſuo modo moderanda.

XLVII.

Aſcitis cura quæ adhuc tractanda reſtat, itidem per Diætam, quæ ſupra dicta eſt, Pharmaciam & Chirurgiam abſolvitur.

Pharmacia conſiderat præcipuè vacuantia, eaque inprimis vel per alvum, vel per veſicam. Per alvum purgandus humor ſeroſus hoc fermè medicamento, quod ℞ ſucci Cucumeris aſinini, ſucci laureolæ, ſucci ireos noſtratis, ſuccorum abſinthij, agrimoniæ, ana ℥ j, Rhabarbari, Agarici ana ℥ ſ, Spicæ nardi, ſeminum Endiviæ, ſcariolæ; Maſtich: laccæ, ſalis gemmæ ana ℈ ij. Excipiantur melle roſato & reponantur in vaſe, quod ſoli exponatur. Hâc confectione, utatur quotidie hydropicus pro doſi ʒ j. In hunc quoque uſum hic clyſter proderit, qui ℞ Rad. Aſari ʒ vj. Herb pariet: pedis columb. Rutæ ana M. 1. Braſſicæ Mar: Chamalææ ana M. ſ. Fol: Sambuci Cucumer. ſylv. ana M. j. Sem: Aniſi, Fœnic: ana ℥ ſ, Apij, Petroſ: ana ʒ j, Flor: Anthos, Geniſtæ ana p. iij. Fiat decoctio in aq. font: q. ſ. colentur; colaturæ ℞ ℔ j & ſolve in ea Ben: lax: ℥ j, Vrinæ pueri ℥ ij, ſalis communis ʒ j. Miſce fiat enema ſ. a.

XLVIII.

Hiſce vacuantibus ſi non obtemperet morbus, fortiora erunt tentanda, qualia ſunt. pil de mezeræo, de eſula, Elat. & ſimilia: forti enim morbo, ſi vires concedant, fortia adhibeantur remedia. Huc etiam diuretica & ſudorifera ſuo modo transferenda. Inter hæc vomitus certis quoq; diebus eſt ciendus, in quem uſum faciunt, Oxymel Scylliticum cum decocto raphani, agarici, gratiolæ, peponis, &c.

XLIX.

Extrinſecus conveniunt, emplaſtra, unguenta, olea, fomenta: Emplaſtra ſuperius data repetantur hîc, quæ tamen interdum variantur, & loco illorum tale adhibere poſſumus, quod ℞ Panis nigri in lixivio molliti ℥ ij. Sulfuris vivi triti ℥ ſ. Nitri ʒij. Salis fabarum ʒj. Stercoris columbini in aceto macerati, Olei laterini Laurini, Anethini, Chamomelini ana q. ſ. fiat emplaſtrum ſecundum artem. Vnguenta Artanitæ, Agrippæ, Martiaton & olea conſimilia maximi hîc ſunt commodi;

L.

Si medicamentis aut difficulter, aut plane non obedire velit, Chirurgica præſidia ad manus ſumenda, Vt ſunt cauteria, vel actualia, vel potentialia; Scarificationes item, & fiſſuræ circa talum, &c.

Cum Morbo denique Extremo, extremum quoque competat remedium, ſupereſt Paracenteſis, quæ non niſi viribus, reliquisq; viſceribus integris, & poſtulante neceſſitate, magnâ cum prudentia adminiſtrari debet, Eius proceſſum declarat, Laurent: l. 6. Anat: quæſt: 9. Roborantia hic morbus eadem habet cum ſuperioribus, ideo illuc abeundum eſt.

LI.

Notandum Coronidis loco medicamenta, quia morbus Chronicus, variari debere, ne naturæ fiant familiaria, & ſi Iecur conſenſu laboraverit, non tam ad Iecur quàm ad partetm primariò affectam curam dirigendam, quæ ex proprijs locis petenda. Medicamentorumq́; formulas, quantum fieri poteſt ſolidas elegi. Plura qui volet pulcherrima Dogmaticorum florilegia ingrediatur, ubi voti pro ſatietate compos ſiet; Et hæc de Hydrope breviter dicta ſufficiant: Deo Uni ac Trino, cœleſti noſtro Archiatro, ſit Laus, Virtus, Honor & Gloria in perpetuum.

F I N I S.